

debitor, nec debitoris hæres sit (ut si fuisset vendita alicui ignoranti, quod sit hypothecata), tunc actio hypothecaria præscribitur spatio 10 annorum inter præsentem, et 20 inter absentes; sine titulo autem, spatio annorum 30. *Communis*, per text. in cit. l. *Cum novissimi*.

(33. Legata, et fideicommissa contra legatarium, et fideicommissarium præscribuntur solum 30 annis, non autem præscribi possunt tempore ordinario, sive longo 10 vel 20 annorum. *Communis*, per text. in l. *Si duobus* 3 § penult., cod. *Communia*, De legatis et fideicommissis.

(34. Actiones, et oblationes adversus ecclesias, et loca pia præscribuntur eodem tempore, quo præscribuntur earum res, seu bona. Unde vide dicta *supra*, n. 13 ad n. 18, et concludit sicut ibi.

(35. Actiones criminales ordinarie præscribuntur, et tolluntur spatio 20 annorum computando hoc tempus a die commissi criminis. *Communis*, per text. in l. *Querela falsi* 12, cod. ad l. *Cornel. De falsis*, ibi: « Querela falsi temporalibus præscriptionibus non excluditur, nisi 20 annorum exceptione, sicuti cætera quoque fere crimina. »

(36. Dantur tamen quædam delicta, quorum actio ad accusandum minori tempore extinguitur, seu præscribitur. (37. Sic actio injuriarum exspirat, seu præscribitur lapsu unius anni. *Communis*, textu expresso in l. *Si non convicii* 5, cod. *De injuriis*, ibi: « Et ex eo die annus excessit, cum injuriarum actio annuo tempore præscripta sit, ob injuriæ admissum conveniri non potest. » (38. Actio ad accusandum crimen peccatus extinguitur, seu præscribitur lapsu quinquennii. *Communis*, textu expresso in l. *Peculatus*, ibi: « Peculatus crimen ante quinquennium admissum objici non oportet. »

(39. Item actio ad accusandum adulterium, vel alia peccata carnis extinguitur, seu præscribitur lapsu quinquennii. *Communis*, textu expresso in l. *Mariti* 29, § 5 et seq., ff. ad leg. Jul. *De adulteriis*. (40. Excipitur tamen hic stuprum per vim illatum, textu expresso in cit. l. *Mariti*, § 9, ibi: « Eum autem, qui per vim stuprum intulit mari, vel femine, sine præfinitione hujus temporis accusari posse, dubium non est, cum eum publicam vim committere, nulla dubitatio est. » (41. Item excipitur adulterium cum incestu, textu expresso in l. *Vim passam* 39, § 5, ff. ad leg. Jul. *De adulteriis*, ibi: « Præscriptione quinque annorum crimen incesti conjunctum adulterio non excluditur. » (42. Item excipitur raptus, textu expresso in l. *Qui catu* 5, ff. ad l. *Juliam*, *De vi publica*, ibi: « Qui vacantem mulierem rapuit, vel nuptam, ultimo supplicio punitur, et si pater injuriam suam precibus exoratus remiserit, tamen extraneus sine quinquennii præscriptione rerum postulare poterit, cum raptus crimen legis Julie de adulteriis potestatem excedat. »

(43. Actio *redhibitoria*, qua emptor intra sex menses, rescissa emptione, reddere potest rem emptam propter vitium, quod si scivisset, non fuisset empturus, præscribitur contra emptorem sex mensibus computandis a die, quo emptor vitium rescivit. *Communis*, textu expr. in l. *Sciendum*, § 6, ff. *De ædilitio edicto*, ibi: « Tempus autem redhibitionis sex menses utiles habet. »

(44. Actio autem *quanti minoris*, competens intra annum illi, qui cognito rei vitio, empturus quidem fuisset, sed minori pretio, ut quanto minoris emisset, repetere possit, præscribitur integro anno. *Communis*, textu expresso in cit. l. *Sciendum*, § 6, *De ædilitio edicto*, ibi: « Si autem mancipium non redhibeatur, sed quanti minoris agitur, annus utilis est. »

(45. Ad præscribendum, aut quasi præscribendum contra legem civilem requiruntur, et sufficiunt decem anni. *Communis*. Vide verbum *CONSUETUDO*, n. 20. (46. Contra tamen legem canonicam requiruntur, et sufficiunt 40 anni. Vide *ibid.*, num. 2 et seq.

(47. Probabile tamen est quod etiam ad præscribendum contra legem canonicam sufficiant 10 anni, sicuti sufficiunt ad præscribendum contra legem civilem. Vide *ibid.*, n. 23 et seq.

(48. An requiritur bona fides ad præscribendum contra legem. Vide *ibid.*, n. 29 ad 31.

(49. Quantum tempus requiratur ad præscriptionem juris patronatus? Vide verbum *JURISPATRONATUS*, art. 1, n. 54 usq. in fin.

50. Præscriptio principaliter differt a consuetudine, quia præscriptio datur inter privatos, et a privatis inducitur: consuetudo vero non inducitur nisi a communitate, cum ipsa sit lex, et jus non scriptum, l. *De quibus* 32, ff. *De legibus*, § *Sine scripto* 9, instit. *De jure naturali*. Vide verb. *CONSUETUDO*, n. 36.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(51. Non omnes præscriptiones eodem tempore complentur. Pro diversitate enim actionum aliæ complentur paucis mensibus, aliæ uno anno, aliæ duobus annis, aliæ tribus, aliæ quatuor, aliæ quinque, aliæ decem, aliæ triginta, aliæ quadraginta, aliæ centum, et aliæ demum tempore immemorabili.

(52. Utile porro esset, de hisce omnibus præscriptionibus agere; at limites additionum haud patiuntur adeo diffusam tractationem. Satis sit ea breviter attingisse, quæ initio hujus articuli de hac re attulimus, et insuper enim indicare, qui de ipsis accuratissime et accommodare ad praxim agit, *Dunod*, *De præscript.*, part. II, a c. 1 ad c. 15. Consule eum igitur, ubi ita res postulat.

DE EFFECTU USUCAPIONIS, ET LONGI TEMPORIS PRÆSCRIPTIONIS SPECTATO ETIAM JURE JUSTINIANO.

ARTICULUS II.

Hæc utique expendenda veniunt ad rem.

(1. Usucapio tribuit rei dominium, ut ex definitione liquet, et quidem ita legitimum perinde ac si res nobis mancipata esset. Hinc *Horatius*, *Epist.*, lib. II, epist. 2, ita scribit:

Si proprium est, quod quis libra mercatur, et ære,
Quædam, consultis si credas, mancipat usus.

(2. Sed hoc dominium cum ea causa transit, cum qua erat apud eum, adversus quem usucapitur: Igitur « non mutat usucapio superveniens pro emptore, vel pro hærede, quominus pignoris persecutio salva sit. Ut enim usufructus usucapi non potest, ita persecutio pignoris, quæ nulla societate dominii conjungitur, sed sola conventionione constituitur, usucapione rei non perimitur, » l. 44, § 5, ff. *De usurpat. et usucap.* Cujus legis hic sensus est. Usucapio tribuit jus dominii. Nil autem jus pignoris commune habet cum dominio, ergo potest utrumque seorsim stare. Quemadmodum et usufructus, qui cum ipse a dominio non pendeat, non usucapitur cum re, cujus dominium per usucapionem transit.

(3. Præscriptionis autem longi temporis non is quidem jure *Pandectarum* effectus est, ut dominium civile tribuat, sed tantum exceptionem adversus dominum rem suam vindicantem, et in hoc minus habet quam usucapio. Hoc autem plus habet, quod eadem exceptione tueri se potest is, qui longo tempore possedit etiam adversus quoslibet, qui jus aliquod in re persequerentur, creditorem puta hypothecarium. Et quidem primo exceptionis adversus dominum competentis ex longa possessione mentione faciunt *Diocletianus*, et *Maximianus* in l. 9, cod. *De præscript. long. temp.* « Emptor bona fide contra præsentem decennii præscriptionem, in cujus initio contestationem haberi sufficit, posteaquam suam impleverit intentionem petitor, adhibita probatione justæ possessionis defensio absolvi recte postulat. » Diximus contestationem haberi. Nam hanc præscriptionem, seu exceptionem diutina possessionis sufficiebat contestari, id est proponere initio litis, seu in ipsa contestatione. Apud judicem autem datum reus poterat usque ad sententiam probare hanc possessionem. Quinimo hac exceptione utilis in rem actio ei qui præscriperat, dari cœpit, de qua *Ulpianus* in l. 10, ff. *De servit. vindic.*

(4. Secundo, eum, qui longo tempore possedit, exceptione quoque tueri se posse adversus quoslibet, qui jus aliquod in re persequerentur, ita rescribunt in creditoris persona supradicti imperatores in l. 2, cod.

Si adversus credit. præscript., et in l. 1, eod. tit. Sed si creditor excluditur a pignoris persecutione per possessionem longi temporis, ergo et emptor pignoris, qui in jus ejus successit. Hinc *Paulus* ita statuit, l. 12, ff. *De divers. temp. præscript.*: « Creditor, qui præscriptione longæ possessionis a possessore pignoris submoveri possit, pignus distraxit. Quæro an possessori salva sit exceptio adversus emptorem: *Paulus* respondit: etiam adversus emptorem eandem exceptionem competere. »

(5. Hæc tamen longi temporis præscriptio non accommodatur adversus judicia universalis, circa quod observandum, quod « hæreditatem quidem petentibus longi temporis præscriptio nocere non potest; verum his, qui nec pro hærede, nec pro possessore, sed pro empto, vel donato, seu alio titulo res, quæ ex hæreditate sunt, vel fuerunt, possident, cum ab his successio vindicari non possit, nihil hæc juris definitio nocet, » l. 4, eod. *In quib. caus. cess. long. temp. præscr.* Non accommodatur etiam hæc præscriptio adversus judicia mista nimirum *familiæ eriscundæ*, aut *communi dividendo*, ut statuit *Diocletianus*, et *Maximianus* in l. 3, cod. eod., quæ dispositio ampliatur etiam in l. 5, cod. *Quib. non objic. long. temp. præscript.*

(6. *Justinianus* longi temporis possessionem in usucapionem transfudit, constituitque, ut prædia provincialia, quæ usucapi non poterant, nec non res incorporales, jam possent usucapi. Usucapionis autem tempus prorogavit, nimirum ut res mobiles non nisi triennio continuo, res autem immobiles, aut quæ tales intelliguntur, puta jura in re immobili, decennio dumtaxat inter præsentem, viceunio inter absentes usucaperentur, l. unic., cod. *De usucap. transform.* Præsentem autem definit cum actor et reus in eadem provincia domicilium habuerunt, absentes cum in diversis. Nihil referre autem quod res alio loco sita sit, quæ ubi domicilium habent l. fin., cod. *De præscr. long. temp.*

(7. Constituit quoque ut cum dominus aut creditor hypothecarius litem non potuit contestari adversus possessorem, vel propter ejus absentiam, aut potentiam, vel propter ejus ætatem furoremve, et curatoris, vel tutoris destitutionem, possit hanc præscriptionem interrompere porrigendo libellum præsidi, aut si non potuerit, episcopo, aut defensori civitatis, in quo intentionem proponat, aut si hi absint, proponendo publice hunc libellum eo loci, ubi possessor domicilium habet cum subscriptione tabulariorum civitatis, aut trium testium, si non adsint tabularii, l. 2, cod. *De annal. except. Ital. contr.* Amplius voluit, ut ex generali libello, quamvis nullius causæ mentionem habeat, videatur quis omnes suas actiones in judicium deduxisse, l. 3, cod. eod.*